



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 3. De Sacerdotum eminentia & dignitate

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

## CAPVT III.

*De Sacerdotum eminentia & dignitate.*

**O**rdo Sacerdotalis **D**EVUM quemdam ex homine facit. **P**salm. 138. **I**psum ordinis Sacramentum à seipso ita emi-  
nens & præclarum est, hominemque adeo  
nobilitat, ut nomen ipsum quodammodo ac na-  
turam mutare cogens, ex homine velut Deum  
quemdam, aut semideum saltem constituat, &  
magnum illi apud omnes honorem ac nomen  
honorabile pariat, unde Propheta regius, *Nimis  
honorati sunt amici tui Deus: quo loco hauddu-  
biè de Sacerdotibus sermo est.*

**A**ngeli Sacerdotum socij. **A**poc. 19. **I**n Apocalypseos libro Ioannes Euangelista,  
ipse Iesu Christi delicia, videns olim Angelum,  
eumque adorare contendens, ab Angelo inhibi-  
tus est, & quamprimum audiuit, *Cave ne feceris,  
conseruus enim tuus sum, & æqualium omnino  
meritorum. Agnoscebat hauddubiè cælestis  
ille spiritus Sacerdotum dignitatem, cum qui  
ab hominibus celi adorarique consuerat, Sacer-  
dotum se socium conseruumque confiteri non  
erubescat.*

**S**acerdotes dicuntur Angeli. **M**al. 2. **M**agnus Propheta Malachias de Israeliticis  
Sacerdotibus sermonem instituens, eorumque  
merita dignitatemque considerans, ultra quid-  
quid humanum est, eos sustollit, & Angelis eos-  
dem assimilare non veretur. *Labia Sacerdotis,  
inquit, custodiunt scientiam, & legem requirent  
ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.*  
Non sine ratione Spiritus sanctus hocce Pro-  
phetæ oraculum extulit, ut hinc manifestò col-  
ligeretur, quanta sit Sacerdotum dignitas, cum  
in Scriptura Angeli appellentur.  
**D**eus filius cum domum suam disponderet &  
ordina-

ordinaret, Ecclesiæque suæ munia distribueret, Sacerdotes suis vicarios constituit, eosque suum in omnibus occupare locum voluit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Si magni ac primi Præfulum Vicarij, & regum terræ vice-reges, magni faciunt hacce dignitate insigniri; quanti suam sacerdotes faciant necesse est, cum Iesu Christi summi Pontificis & totius orbis Monarchæ vicarij sint constituti?

Tanta porro tamque eminens sanctorum Sacerdotum dignitas est, ut sanctissimi quique viri eandem attingere non sint ausi, sed remissis velisque subterfugerint, ut S. Antonius, S. Benedictus, S. Franciscus, alijque plurimi, qui hanc amplitudinem veriti, nunquam sacerdotio initiari voluerint. Quin & S. Marcus pollices sibi dicitur præcidisse, ne ad Sacerdotium etiam inuitus raperetur; S. quoque Ammonius aures sibi auulsi, ne Episcopatum suscipere cogeretur. Quibus omnibus exemplis manifestum redditur, quam ampla, quamque alta sit Sacerdotum dignitas.

Magno Iosue Hebræorum ductori honos fuit rapidum solis cursum inhibuisse, atque inter Iosue columnas cæli axesstitisse, *Obediente*, inquit Scriptura, *Domino voci hominis.* At maior Sacerdotibus collata gratia & honor est, dum consecrationis miraculum peragunt. Iosue enim solem stetit eo loco quo fuerat antea; at hi Dominum Iesum in cælo commorantem in medium altaris, in quo non fuerat, deuocant. Illi obediunt creatura, his creator: illi sol, hisce Deus, idque quotiescumque sacrosancta consecrationis verba pronuntiant.

Ipsa porro peccatorum remissio iurisdictionis

Sacerdotes  
Iesu Christi  
vicarij.

Luc. 10.

Plurimi  
Sanctorum  
ad Sacerdotium  
promoueri  
subterfugere,

Sacerdotes  
Iosue 10.

nis

Eadem  
propemo-  
dum Sacer-  
dotum po-  
restas qua  
Dei.  
Matth. 16.  
v. 18.

nis quidam diuinæ actus est, omnipotentiam spectat, & omnem humanam capacitatem viresque longè transcendit; Hæc tamen potestas Sacerdotibus ipsis cõmunicata est & à Domino vltro collata, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quacunque ligaueritis super terram, &c.* Euidens argumentum, sacerdotium ac diuinitatem nescio quid inter se communitatis habere, & eiusdem ambo amplitudinis esse, cum eadem amborum sit vis ac potentia.

Exod. 22.

*Dominus in veteri lege præcepit (ait Innocent. III. De hæret. c. Cum ex iniuncto) Djs non detrahes; Sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis, & officij dignitatem Deorum nomine nuncupantur.* E quo inferre volo, quantum ad status excellentiam spectat, hoc ipsum quod diuinum numen in cælis est, in terris esse Sacerdotem.

in epist. 1. ad  
Cor. cap. 1.

Adnectit Hieronymus, tanto sacerdotes honore donatos, esse & ita communem hominum statum excedere, vt dum suo loco funguntur, Apostolorum fungantur, *propter quod, inquit etiam Ecclesiarum Apostoli nominantur.* O paradoxa inaudita! Cum, quos mundus tam parui facit, Apostolorum instar honorandi sint.

Exiguum  
inter Sacer-  
dotes & E-  
piscopos  
discrimen.

Exiguum esse discrimen Sacerdotum & Episcoporum, plurimi scripsere viri magni; Hi enim Apostolorum sunt successores, illi verò septuaginta discipulorum: scriptis tamen Apostolicis certum est, in primitiua Ecclesia qualitatem eorum & dignitatem communem fuisse, atque Sacerdotes omnes Episcopos, & Episcopos vicissim Sacerdotes pari nomine appellatos; horum enim nomen industriam pastoralem, illorum verò naturam & senilem sapientiam indicat. *Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum*

porum exhibere simul & prae monstrare nemo est qui D. Tho. 223  
 dubitet; sic & hos septuaginta duos figuram pre- q. 184. a. 6.  
 sbyterorum, id est secundi ordinis Sacerdotum ges- Bedain Luc.  
 sse sciendum est. Quibus è verbis infertur, si E- l. c. 10. Ana-  
 piscoporū maiestas & excellentia magna est, cletus ad o-  
 Sacerdotū inferiorem haudquaquā esse: nemo mnes Italia  
 enim Episcopus aut Præsul esse nequit, nisi prius Episc. c. 2.  
 sit Sacerdos, & Episcopalem dignitatem nonni- Innoc. 3. lib.  
 si augmentum & ordinis ampliatio est. 1. de myst.

Cum igitur sacerdotium diuinitati quā pro- altar. c. 6.  
 ximè accedat, atque Sacerdotes omnes reges Sacerdotē  
 sint, regiam igitur maiestatem antecedit, & sa- regibus  
 cerdotes Regibus, Principib. ac Monarchis su- præferēdi.  
 periores sunt. Vnde Prophetæ suo, & Sacerdo-  
 ti ait Deus, Ecce constitui te hodie super gentes &  
 regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, Jerem. 1.  
 adifices & plantes, &c. O gratiam singularem &  
 priuilegium vere diuinum cum Sacerdotes à re-  
 gibus timeri & honorari debeant.

In nouo testamento, ait D. Thomas sacerdotium  
 præminet regno, sicut spiritus corpori: in ve- Olim Re-  
 teri verò regnum præminebat sacerdotio. Idcirco gia digni-  
 olim regnum, & hodie sacerdotium substāci- tas Sacer-  
 uum est, tunc enim per regni potentiam, nunc dotali præ-  
 verò per sacerdotium ipsa substat & consistit è contra, lata, hodie  
 religio, vult igitur Angelicus doctor in sacer- In epist.  
 dotij encomium dicere, si Regum olim fuit Sa- 1. Pet. 2.  
 cerdotibus imperare, hodie Sacerdotum esse le-  
 ges & statuta regibus præscribere.

Quanto ait Clemens const. Apost. lib. 2. cap. 34. Sacerdotiū  
 anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotiū regno ex-  
 regno excellentius: soluit enim aut ligat supplicio vel cellentius,  
 remissione dignos. Vnde infero, eandem quæ a-  
 nimæ in corpus est superioritatem & imperium  
 Sacerdotibus in reges & monarchas mundi hu-  
 jus competere.

Dicere

*Lib. 3. de Sa-  
cerd. &  
hom. 4. & 5.  
de verbis  
Isai.*

Dicere non erubuit Chrysoſtomus, tanto Sa-  
cerdotium regno, & ordinem ſacrum coronis,  
ſceptriſque præſtare, & excellentius eſſe, quan-  
tum Spiritus carni & corpori; & quantum inter  
duas illas partes naturales eſſe ſolet interual-  
lum, tantum, imo maius, inter ambas illas di-  
gnitates inueniri. *Sacerdotium*, inquit, *tanto re-  
gno eſt excellentius, quantum Spiritus & carnis in-  
teruallum eſſe poteſt.* Audax proſectò ſententia,  
at verax, & certiffima, quòd, quemadmodum  
Spiritus carne nobilior & dignior, ita regnum  
Sacerdotio inferius & minus ſit.

*Sacerdotiũ  
ſimile  
auro.*

Metallorum omnium rex eſt aurum, & Sacra-  
mentorũ omnium primarium eſt Ordo, nec  
tantum eſt auri pretium plumbo collati, quan-  
tum Sacerdotij cum regno comparati, regnum  
reſpectu aurei Sacerdotij non niſi plumbum eſt,  
*aurũ*, inquit Ambroſius, *non tã pretioſius eſt plum-  
bo, quàm regia poteſtate altior eſt dignitas Sacer-  
dotalis.* O Sacerdotes verè beati & verè magni!  
cum vos id inter homines mundi, quod aurum  
obryzum inter cetera terræ metalla eſt.

*De dignit.  
Sacerd. c. 2.  
diſt. 36.*

*De dignit.  
Sacerd. c. 2.  
ſ. 7. diſt. 96.  
cap. eod.*

*Quis dubitet*, inquiunt Ambroſius & Gregor.  
*ſacerdotes Chriſti, regum & principum, omniumq;  
fidelium patres & magiſtros cenſeri?* An non eui-  
dens ſtoliditatis argumentum foret, & ſtultum  
penitus, ſi Patri præeſſe vellet filius, magiſtrum  
ſugillaret diſcipulus, eumque per leges iniquas  
ſibi ſubiiceret, quem credit habere poteſtatem

*Sacerdotes  
regum  
patres.*

ligandi, diſſoluendi que non in terra ſolùm, ſed  
etiam in cælis: Hinc, ô Sacerdotes vocationis  
veſtræ magnitudinem colligite, cum Regum pa-  
tres, Principum magiſtri, fidelium domini, po-  
teſtatemq; omnes tam in cælo quàm in terra li-  
gandi, vinciendi que habere dicamini.

*Tantum*

Tantum inquit Isidorus Pelusiota, inter Sacerdotem & quemlibet probum virum interesse debet, quantum inter calum & terram discriminis est. lib. 2. Epist. 205.

Quicumque igitur videre voluerit, quantum vtriusque terminus & extremum a se inuicem distet, statim videbit; quantopere sacer a profano disinctus sit.

Discrimen inter Sacerdotes & ceteros homines.

Serm. 37. ad fratres eremi

Sicut, ait magnus Augustinus, suscepit Matthias principatum, & surrexit loco Iuda; sic & nos suscepimus principatum in Ecclesia Dei; & per gratiam suam suos ministros facere voluit, & in palatio suo nos constituit, ut essemus gens sancta, populus Dei, sal terra, lux mundi, & angelici homines. Vide, quod non euehat Sacerdotes Augustinus? quibus non honorum titulis exornet? vocat eos Ecclesie principes; Christi ministros; palatii illius oconomos, homines sanctos in terra, mundi astra & ob vite puritatem, angelos.

Sacerdotis potestas ineffabilis.

De Sacerdotio.

Communis loquendi modus minor est, quam ut sacerdotij dignitatem exprimat; exclamationibus opus est. Exclamat igitur Sanctus Ephrem dicens, O potestas ineffabilis, qua in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum! O quam magnam in se continet profunditatem formidabile, admirabile Sacerdotium, &c. Exclamandi hae formulae designant, Sacerdotum dignitatem non verbis exprimi, eorumque potestatem nullo sermone dignè exponi posse.

Quin & Gregorius Nazianzenus, hanc amplitudinem comprehendere nescius etiam exclamat, O Sacerdotes Dei incruenta sacrificia mitentes! o illustres animarum custodes! o magni Dei signum in manibus vestris gestantes! o Deum hominibus concilians! o mundi fundamenta, &c.

Epist. ad Episcopos in princ.

Sacerdotum illustratio propria

Tot

Tot tantæque sancti Pontificis exclamationes, an non Sacerdotum admiranda vos cogunt admirari: quod animarum custodes & tutores, verbi æterni thronos, hominum apud Deum conciliatores, mundi fulcra, rerum immortalium rectoros eos dici videatis? an non hæc encomia animos simul & aures rapiant?

**Sacerdos  
soli Deo  
inferior,  
toti mudo  
superior.**

O Sacerdos Dei, ait Cassianus in Catal. gloriæ mundi, p. 4. si altitudinem cæli contempleris, altior es; si pulchritudinem solis & luna & stellarum, pulchrior es; si discretionem Angelorum, discretior es; si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es; solo creatore tuo inferior es. Ostendere vult, nihil esse quod Sacerdoti comparetur; & quidquid altum, pulchrum, sublime sub cælo est ad Sacerdotum magnitudinem non accedere: solus Deus supereminet, cetera omnia meritis illorum cedunt & dignitati.

**Hom. 2. in  
Psal. 37.  
In Sacerdotum  
manibus Deus  
incarnatus  
de Sacerdot.  
lib. 3.  
Sacerdotes  
Angelico  
funguntur  
officio.**

Verè veneranda, ait Augustinus, Sacerdotum dignitas in quorum manibus Dei filius velut in vtero virginis incarnatur. Quantum datur colligere, magnus ille doctor Sacerdotes Deiparæ virgini pares efficere conatur, cum in eorum manibus, uti olim illius in vtero, verbum æternum mirabiliter incarnetur. Sacerdotium quidè, scribit magnus Chrysostr. in terra exercetur, sed tamen inter cælica officia referendū est. quippe nō mortalis quisquā, nō Angelus, nō Archangelus, nō alia quævis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem eiusmodi disposuit, qui mortalibus hominibus etiam nū in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo cōciperet, &c. Ostendere conatur Sacerdotes immediatè à Spiritu S. descēdere, cūq; naturā homines sint, Angelos esse exercitio officioq; Sacerdotum, ait Augustinus, magna est dignitas.



tas; quia propter eorum vñtionem & dignitatem multi ex ipsis virtutes & mirabilia operati sunt & vsum prophetandi habuerunt. Quod exemplo Caiphæ, summi apud Iudeos Pontificis probari potest, qui cum ea dignitate fungeretur, non quidem à semetipso, sed ratione Sacerdotij & vñtionis magna voce pronuntiauit, *Necesse est vobis vt vnus homo moriatur pro populo, vt non tota gens pereat.* Ait igitur Augustinus, ordinē sacrū ad eò excellentem esse, & Sacerdotum dignitatem ad eò regalem, vt eius sæpe respectu cælum sæpe miracula producat, eorumque orē oracula eliciat prophetica.

ad Marcellin. Sacerdoti dono miraculorum illustratur.

Cum certum sit, vt ait Chrysostomus & Isidorus, neminem sine baptismo & aqua regenerationis saluari posse, & nisi manducet carnem filij hominis & biberit eius sanguinem, cæli compotem fieri, hæcque omnia sacratis Sacerdotum manibus peragi constet; credendum etiam est sine illis non posse quemquam pænasevitare sempiternas aut cælestem gloriam promereri. Hinc meritò deferre honorem Sacerdotibus & reuerentiam exhibere par est, non modo maiorem quam regibus ac principibus, verum etiam quàm parentibus. Incredibile profectò, verum tamen, tantam Sacerdotum potestatem esse, eorumque dignitatem ad eò eximiam, vt ab ijs æterna salus dependeat, atque ideo principum instar honorandi sint.

Lib. 3. de Sacerd. lib. 2. de offic. c. 3. de Sacerd. Sacerdotes magis honorandi quàm reges.

*Omniū quidem bonorū (ò sententiam Chrysostomo dignam!) magna est gratia: inter omnes autem maxima est Sacerdotalis dignitas; si quis eam immaculatè custodiat; &c. si enim inter cetera opera sua DEVS animas hominum magnifaciat; quanto magis credendum est, eum*

hom. 15. in Matth. Sacerdotalis dignitas magna est gratia.

B 2 super

super omnia opera sua stabiliturum eum, qui Deo animarum lucrum adfert, id est Sacerdotem? Attendite, obsecro, Sacerdotes & contem-  
plemini honorem, quem vobis exhibet Chryso-  
stomus, cum ait gratiam, quam vobis Deus præ-  
stat dū Sacerdotio initiat, omnium illius gra-  
tiarum esse primam ac maximam.

*Orat. 4. cont.*

*Iud.*

*Melchise-  
dech Abra-  
hamo Be-  
nedicit.*

*Considera*, inquit idem qui suprā Chryso-  
stomus *quanta sit excellentia nostri sacerdotij, quando  
quidem Abraham, Patriarcha Iudæorum, progeni-  
tor Leuitarum, comperitur benedictionem accipere  
à Melchisedech, illiq; dare decimas.* Optimum il-  
lius est argumentum; nam magnam Sacerdotum  
esse dignitatem necesse est, cum per illos reges  
benedictionem accipiāt, tributarios se illorum  
esse fateantur.

*De Sacerd.*

*dig. 1. cap. 3.*

*Cum igitur inquit Ambrosius, nihil excellentius  
in hoc seculo Sacerdotibus, & cum dignitatem eo-  
rum oculis demonstramus, vt dignè noscamus quid  
sumus & quid sumus professione, actione potius  
quàm nomine demonstramus, vt actio respondeat  
nomini, & nomen cum operibus coincidat: ne forte  
nomen vanum sit & peccatum enorme, ne for-  
tè honor magnus sit, & vita infamis; ne habitus  
sit religiosus, & conuersatio profana; ne in  
templo sedes sublimis, & Sacerdotis consci-  
entia humilis & terrena. Concludere, meā qui-  
dem sententiā, vult, cum nihil in mundo sit ex-  
cellentia Sacerdotali excellentius, eam non  
tam nomine quàm virtutum splendore & bo-  
norū operū exercitio demonstrandā; & ad hoc  
ipse vos tota animi contentione adhortor.*

#### CAPVT IV.

*De Sacerdotum officio.*

**C**um summus Dei Sacerdos Aaron initiare-  
tur